



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

B. Berchtoldvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

BERCHTOLDVS, primùm armarii & claustral Prioris officio functus est in S. Blasii Monasterio, deinde itidem Prior Kotwicensis fuit, indeq; e vocatus, primus Abbas Garstensis constitutus est Cænobii, nouitèr fundati ab Otacharo Marchione Stirensi, qui & ibidem mutato seculari habitu Monachus est effectus. Disciplinæ regularis custos strictissimus existens, ad exemplum magni illius BENEDECTI, labrum æneum plenum denariis, & XXX. panes, contra suum iussum pauperibus deuogatos iussit in flumen Anasum precipitari Meritis ipsius & benedictione paucitas piscium seu vini aliquãdo ita creuit, vt omnibus præter spem, sufficeret. Aliàs etiam multis conuiuantibus pisces diuisit, & tamen in nullo minui plenitudo visa est. Torrentem Garsten alueum suum egressum, claustriq; officinas inundantem, oratione cohibuit. Aliquoties cum pisces deessent, fiducia de Domino concepitâ miraculosè acquisiuit. In curandis energumenis mirâ virtute pollebat; charitatis visceribus totus diffuebat; prophetiæ etiam dono præditus. Infirmatus aliquando, sibi aquam deferri iussit, quam bibens, in vinum conuersam reperit. Rursum ergo pro aquâ mittens, iterum vinum esse sensit; vnde resolutus in lachrymas: Quid, inquit, *Saluator agis? Nonne peccator sum indignus, propter quem signaficias?* quod etiam alias non semel euenisse plurimi testati sunt. Iam verò de hoc seculo migraturus conuocatis fratribus, sic est eos allocutus: *Tempus, inquit, aduenit hinc transeundi, nec ultra differri valet diu exoptatum, vix exspectatum. Sed scitote, quia vos nunquam deseram, & huic loco fidelis in perpetuum, deuotiq; cooperator existam. Corporali quidem diuisione separandi sumus; sed spiritum semper vobiscum ero. Dico tamen, quod post discessum meum locus iste minime carebit aduersis, & semet ipso minor & inferior multum retrocessisse videbitur; sed tamen; per gratiam Dei, citò resurget, & melioris status resumet dignitatem.* Tandem migraturus Litanias ipse incepit, & donec efflaret spiritum cum aliis decantauit. Eius funus cum portaretur ad Ecclesiam, stupendo miraculo, feretrum virtute diuina subleuatum, nequaquam portitorum humeros tangebatur.

Obiit beatus vir XXVII. Iulii A. C. MCXC. Regiminis XXX. post mortem innumeris clarus miraculis. *Ex vita typis impressa Ingolstadt.*



B. BERTHOLDVS ABBAS ORD. S. BEN.
 Primus Garsienſis Monafterij in ſuperiori Auſtria Abbas,
 omnigenis virtutibus illuſtris, inter Liſanarum conſum
 XXXVII. Julij A. c. MCXL. exceſſit cuius ſacrum corpus
 Angelicis ad tumulum deportatum, manibus innumeris Clare
 miraculis

CH.